

« qui *[a]* a mane in sero *[b]*, ut canis leporem, sic non desinebant persequi hostem;
 « paternam insuper servare audaciam *[c]*, qui, ut falco numerum *avium*, sic non cu-
 « rabant multitudinem hostium. Praeterea, o fortissimi cives, cum inibitis praelium,
 « quia, licet timidi, tamen infiniti sunt numero, non vicissim invadite hostes; for-
 « titer percutite, atque ipsos more fulminate paterno *[d]*. Et cum eos, Deo dante,
 « fuderitis, ipsos *quoque* *[e]*, quousque alitissime placuerit majestati *[f]*, fugabitis.
 « Vestro auditu signo, statim figite gressum, neminem postea persequendo; sed re-
 « vertentes omnes colligite hostes, vestro timore prostratos, quorum nulli illius amore
 « vulnus inferatis mortale, cuius ditione *[g]* omnis capitur creatura, ac ejus *intuitu nutu*
 « liberatur *[h]*. Est enim sanctius atque nobilior hostes vinculis tradere, quam in
 « bello ipsos perimere nequiter.

Hec ubi dat dicta, *Concurrunt acies omnes clamore soluto*, *Horisonis versant tenues ululatibus auras*, *Classica terrifico diffringunt arva* *boatu*; *Fit sonus utrinque, et latus colliditur aer*, *Et referunt raucos montana cagmina cantus*. *Iam frigore armorum; tangentes bellica* *vicit clangorem lituum; subtexunt astra sagittae*, *Telorumque frequens obnubilat aera nimbus*.

Postquam vero utrinque acefimo pugnatum est bello, jam elapso trium horarum spatio, juxta sylvam Ingici *[i] [A]* Petri Guidonis hostes, ut summo placuit creatori, vertuntur in fugam; quos nostri agentes hostiliter usque muros civitatis Liviensis persequuntur *[m]*, ubi intra civitatem et burgum Sclavanie *[n]* aliquot mulieres ceperunt, atque senes cum junioribus et melioribus *[o]* multitudinis ducentes, inter quos fuit Petrus Traversaria junior *[p]*, Luicius de Rovere *[q]* et alii nobiles Ravennates quam plurimi;

[a] perseverantiam virium. Sic Codd. M. et V.; *jurium*, C. A. — *[b]* a mane in sero. Sic Codd. omnes Fortasse corrigendum, *a mane in serum*. — *[c]* servare audaciam. Sic Codd. V. et A.; et sic videtur legendum; nam si legatur, servate audaciam, suppleri superior sensus deberet aliquo alio verbo, ubi, scilicet, est contendite. — *[d]* more fulminate paterno. Sic ex C. V.; *more fulminante paterno* habet C. M. — *[e]* ipsos quoque. Sic legendum puto, licet Codices M. et V. habeant *ipsosque*. — *[f]* placuerit majestati, C. V.; *placuerit magestati*, C. M. — *[g]* cuius ditione: C. M. habet *dictionem*, et C. V., *ditionem* — *[h]* *intuitu liberatur*. Sic lego. In C. M. est *initu liberatur*; in C. V., *intuitu liberare*. — *[i]* *diffringunt arva*. Sic lego; ipse C. M. habet *distringunt arva*; C. V. habet *distringunt arma*; cl. Mitt., pro *arva*, legit *aera*. — *[j]* *tangentes bellica*. Sic habent codices; nec ausus sum immutare. Num substituenda vox *taratantara* ab Ennio usurpata, tubarum sonum exprimens? — *[k]* *Telorumque frequens obnubilat aera nimbus*. Ita corrigendum versum corruptum duxi; nam codices vitiouse eum referunt. C. M. sic: *meliumque frequens obnubilat aera membris*; C. A., *Mediumque frequens etc.*; et C. V. *Mediumque frequens obnubilat aera imbris*. — *[l]* *sylvam Ingici*. Sic Codd. M. et V. — *[m]* *persequuntur*, C. V.; *persecuntur*, C. M. — *[n]* *burgum Sclavanie*. Sic Codd. — *[o]* *et melioribus*. In C. M., bis *melioribus*; in C. V., *et mulieribus*. — *[p]* *Petrus Traversaria junior etc.* In C. M. sic: *Petrus Traversaria Iuniorum Luicum de Rovere, et alios nobiles Ravennates quam plurimos: de Forlivio, Albertinum de Officia, Iohannem Giscardini, filium Petri de Ordelaffo, Ugo Berardengi, et alios multos: de Cesena, fuit Rialeum et Agusellum: de castro Bretenori, henrigum de Mainardis, Ieremiam de Polenta, henrigum de Gluito, et alios complures etc.* — *[q]* *Luicius de Rovere*, C. M.; *Lucio della Rovere*, Tondutius.

[A] Guido de Ingiza nominatur in charta Tabularii Azzurrini, sub anno 1138. Item de Alberto et Ingiza sua uxore, in charta VIII octob. 1131.